







V
B J
C



CENOTAPHIA

Funeri

CELSISSIMI S.R.I. PRINCIPIS

ILLUSTRISSIMI DOMINI,

D. STANISLAI HERACLII

LUBOMIRSKI

Supremi Regni Mareſchalci,

INSCRIPTA.

&

CELSISSIMO ac ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. THEODORO

LUBOMIRSKI

CAPITANEO SCEPUSIENSI

Meritiſſimo & mærenti tanti Patris Filio,

Ab obligato Varſavienſi Scholarum Piarum Collegio

PORRECTA.

Anno Nati Dei Hominis

1702.

Varſaviæ, Typis ejusdem Collegij.

22



Ita optimum quemq; niti & contendere decet, ut post se quoq; Reipublicæ prosit, moderationis scilicet justitiæq; monumentis.
Plin. paneg. Trajani.

Virtutes id agunt, ut non in unam ætatem prosint, sed beneficia sua etiam post ipsos relinquant. Sen. l. 4. c. 30. de Benefic.

Hoc debemus virtutibus, ut non præsentes solùm illas, sed etiam ablatas è conspectu, colámus. Idem ibid.

Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid admirati sumus, manet, mansurumq; est in animis hominũ, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterũ oblivio velut inglorios & ignobiles obruet, Agricola posteritati narratus & traditus superstes erit.
Tacit. in vita Agricolæ.

Non raptim relinquetur magnus vir, & cũ cura dicendus. Dabimus te in omnem memoriam clarissimum caput. Sen. c. 14. de Tranquil. animi.

Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo; tamen etiam non sentientes colet, & frequentabit. Sen. epist. 29.

Non judicabam me, cùm amicos superstites relinquerem, mori; putabam inquam me victurum, non cum illis, sed per illos.
Sen. epis. 70.

Ad excelsa sublatus inter felices currit animas, excipitq; illum cætus sacer, Scipiones, Catonesq;. Sen. c. 25. ad Marciam.

Nunquam magnis ingenijs cara in corpore mora est, exire atq; erumpere gestiunt, ægrè has angustias ferunt; vagi per omne sublime, & ex alto assveti humana despicere. Sen. c. 23. ad Mar.

Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest. - - - - - - - Martial. l. 4. epigram.



JLLUSTRISSIME DOMINE.

LAtrocinio mortis ereptum tibi Parentem tuum, Patriæ Patrem, nobis tutelare nomen, vindicamus, & tibi restituimus; si tamen aliquid meruisse videbimur, cum omnia in Tua Domo, & apud Te reperimus. JLLVSTRISSIME DOMINE. Perierat quidem, sed inventus est, mortuus erat, & revixit; postquam in tuos mores se impressit. Pulcherrimam sanè ha-

habes normam & exemplar vitæ, ex quo tuã formaturus es; ubi certiore supra fidem veterum metempsychosi grandis magni Parentis Tui anima in te immigravit; ut te vivente, illũ mori potuisse incredibile sit. Felix es LVBOMIRSCIA Domus, dum pro Patribus tuis, & Patriæ, & tibi nascuntur filij, in quibus omnes Antenati reviviscunt, imò nec moriuntur, nihilq; damni mors tibi adferre solet, nisi quòd sola nomina Heroum & Heroidum mutet. Vnde JLLVSTRISSIME DOMINE nihil hîc tam de togatis, quàm de armatis laudibus Avorum & Patris tui loquimur, quia tanquam præterita, & tibi ignota narraremus, cum tamen omnia tibi præsentia & domestica sciamus. Tua enim hæc tota supellex, gloria est; Tu natus es ad omnia hæc gerenda, nos non nisi ad in historiam regerenda obligati.

Jllustrissimæ Dominationis Vestræ

æternùm devotissimum

Collegium Varsaviense

Scholarum Piarum.

D. O. M.

Viator!

Miraculum, non tumulum vides.

Hîc jacet
Magnum illud Virorum, Hominum, Ætatum
Prodigium,
STANISLAVS HERACLIVS
LUBOMIRSKI,
MARESCHALCVS in Regno,
Vir in Consilio, Prudentia, Sapientia,
Animi Magnitudine
SVPREMVS.
Vitam, quam in honorem virtutis accepit,
DEO per fidem sanctè,
Regibus per obsequium candidè,
Patriæ per merita illibatè,
Domui per famam gloriosè
reddidit.
Oraculum, si dixit; Miraculum, si scripsit;
utrumque, si suasit.
Mercurius Poloniæ, Apollo Europæ,
Magnus Orbis Salomon.
Sex annorum decades vixit,
gloriæ & sibi satis, non suis.
Mensium apertor Januarius
clausit vitam mortuo,
Die 17, Magno Mareschalco ultimâ.

D. O. M.

Cineres,

in quibus Phœnix Hominum extinctus jacet,

STANISLAVS HERACLIVS

LUBOMIRSKI

Supremus Regni Mareſchalcus.

V I R

Vel ſub ſole unus, vel ſol omnium.

Qui illum non vidit, nihil vidit,

quia

Omnia in uno non vidit.

Mortem ſuam fecit vivendi palæſtram,

Vitam, hiſtoriam

Prudentiæ, Magnanimitatis, Conſtantiæ, Doctrinæ,
Fortitudinis, Pietatis, Iuſtitiæ, Conſilij.

In tranquillis cautus, in difficilibus arduus,
in ſubitis promptus, in gravibus maturus,
in humanis divinus.

Solitudinis & ſequeſtri amans,

totum orbem in ſe, ſe in receſſu clauſit;
Nunquam magis bono publico prodeſſe viſus,
quàm dum latet.

Regibus præceſſit Scipione,
Civibus zelo, Populis exemplo,
Probis virtute, Optimis bonitate.

Immortalium operum anhelitu plenus,

exhalavit animam mortalis;
nec laudari deſiit,
ſed vivere.

D. O. M.

Sta Viator!

Hîc cecidit viæ regiæ Anteambulo,

STANISLAVS HERACLIVS

LUBOMIRSKI

Supremus Regni Mareſchalcus.

Sæculis omnibus,

Elapſo, Miraculum; Currenti, Oraculum;
Futuro, Exemplum.

Virtute, geſtis, gloriâ,

TER MAGNVS.

Sapiens ſine vanitate, Gravis ſine elatione,
Affabilis ſine pavore, Familiaris cum majeſtate.

SENATOR,

quo prudentiorem non habebit Curia.

CIVIS,

quo digniorem non videbit Regnum.

HOMO,

quo perfectiorem non formabit virtus & natura.

Ut prolixiùs mereretur de Patria, togam tulit;
ut firmiùs, Scipionem.

Triumphalior Honoris Baculo, quàm Martis gladio,
auream prudentiam ferro prætulit;

Pacificus, Doctus, Facundus.

Vitam, quam Theatrum gloriæ fecerat,
Mortis ſcenâ concluſit.

Martis die pacem ingreſſus perpetuam.

D. O. M.

Suſpira Viator!

& anhelitu gemebundo depelle mortis pulveres,
ut faciliùs legas characterem mortui.

STANISLAVS HERACLIVS
LUBOMIRSKI
Supremus Regni Mareſchalcus
Hîc cecidit.
Qui à ſtando rem & nomen derivans,
quoad vixit, pro Patria ſtetit;
Opibus liberaliter, viribus fortiter,
Conſilio prudenter.

Numa Sarmaticus, ſi pietatem ſpectas,
Fabius, ſi conſilium; Cato, ſi prudentiam,
Nerva, ſi bonitatem; Cœſar, ſi gloriam;
Omnia, ſi LVBOMIRSCIVM.

Præceſſit ad ea unus,
quæ omnibus ſequi ſudor eſt, honor non aſſequi.
Præmiſit ea, quæ noſtrum ſæculum prodigia,
Futurum mirabitur portenta.

PRINCEPS
Supra Magnos Celſiſſimus,
Supra Præclaros Illuſtriſſimus,
Supra Bonos Optimus.

Finivit diem non gloriam.
Scipio Lechicus ad hoc confractus
Saxum.

D. O. M.

D. O. M.

Depositum

Magni Sapientiæ Thesauri;
quem avara mors terræ infodit,
& sub hoc abscondit marmore.
Perijt
Ex Regum Corona Vnio,
Ex Thesauro Libertatis Gemma,
Ex Regno Sapientiæ caput, aurum optimum,
STANISLAVS HERACLIVS
LVBOMIRSKI
Supremus Poloniarum Mareschalcus.
Vitam suam Gymnasium fecit,
in quo discebat quotidiè
Virum bonum, Civem utilem,
Senatorem prudentem agere.

Semper negotiosus, semel otiosus,
Dum hîc decumbit.
Omnes scientias perfectas habuit, quod divinum;
Practicas, quod non humanum; continuas, quod utrumq;.
Theologus, Astronomus, Geographus, Chronologus,
Polemicus, Philosophus, Orator, Historicus, Vates,
Omnia.
Sed difficillimam bonæ mortis scientiam arbitratus,
hanc maximè in vita didicit,
Prudenter, Sanctè, Gloriosè,
mortuus.

D. O. M.

Vnus hic Sarcophagus

Multorum Heroum claudit funera.

STANISLAVS HERACLIVS

LUBOMIRSKI

Supremus Regni Mareſchalcus

Omnium in ſe gloriam animavit vivus,

Omnium extinxit mortuus.

Divinitate Plato, Humanitate Trajanus,

Juſtitiâ Solon, Doctrinâ Salomon.

Magnorũ Ducum & Sapientûm Collega,

quos in ſe vivendo expreſſit,

ſuo cadavere moriendo oppreſſit.

Semel mortuus, ſemper dolendus.

Tot mortes ſubijt,

quot heroicis animabus vixit.

Prudens, Sapiens, Simplex,

Candidus, Rectus, Veridicus.

Ætatem Regum uſu,

Deorum obſequio,

Populi emolumentis attritam,

Annis aridam, viridem in Conſilio habuit.

Inter Stoicos Ethicè,

inter Lælios Politicè,

inter Chriſtianos Orthodoxè

inter mortuos immortaliter

Spiravit, Exſpiravit.

D. O. M.

Lachrymas hoſpes!

Sede, & plora ſuper Flumina.

Areſcit cum Avito SRENIAVA

Oceanus Gloriæ

STANISLAVS HERACLIVS

LUBOMIRSKI

Supremus Regni MARESCHALCVS.

VIR

DEO fidelis, Regibus fidus,

Patriæ utilis, Amicis jucundus,

Domui decorus, Omnibus totus,

Sibi nullus.

Delphum in illo & Tripodem amiſit Polonia,

ſi oracula veneraris.

Capitolium & Pantheon, ſi virtutes adoras.

Prætorium & Curiam, ſi conſilia ſtupes.

Angelus Magni Conſilij in carne,

ita ſuaſit, ut nemo corrigeret;

ita ſanxit, ut omnibus ſanctum,

ſanum, ſalubre videretur.

In periculoſis cautus,

in arduis prudens,

in magnis ſummus.

Vt omnia pro bono publico egiſſet,

egit & animam,

terræ ablatus, Cælo redditus.

D. O. M.

Loquere!

Facunde Orator; vive dolor!
dum tacent mortis ſilentia.

STANISLAVS HERACLIVS
ŁUBOMIRSKI

Supremus Regni Mareſchalcus,
per quem loquebantur Reges,
æternùm conticuit.

Poloniæ Tullius, Europæ Plato,
Orbis Oraculum.

Græca & Latina majeſtas,
utraq; Coronam cedit LVBOMIRIO,
Demoſtheni, & Arpinati Lechico.

Ambæ inſuaves, cùm dulciùs diceret;
Frigidæ, cùm ardentiùs; aſperæ, ſi molliùs;
nullæ, ſi ſingulariùs.

A Regibus favorem, pro Regibus zelum,
Regibus veritatem dixit,
gratiosè, gloriosè, animosè.

Nudâ rectitudine comptus, & ſine adulatione gratus.

Heu!

quomodo facundus ille animorum motor
immotus obmutuit?

Et quod antea divinè loquendo ponebat in Cœlo,
nunc poſuit os ſuum in pulvere!

Ceſſavit dicere per mortem, non dici per
immortalitatem.

D. O. M.

D. O. M.

Viator ! quid quæris in hoc pulvere ?

STANISLAVS HERACLIVS

LUBOMIRIVS

fui,

jam ſum umbra, & cinis frigidus.

Mors extingvit Illuſtriſſimos,
æquat Celſiſſimos, obſcurat Sereniſſimos.

Si Genus intueris ?

è Magno FLUMINE SRENIAVIORVM deſcēdi.

Si Honorem ?

Supremum Regni Scipionem prætuli.

Si Vitam ?

hanc Fortitudine, Juſtitiâ, Pietate, Prudentiâ,
Doctrinâ, Boni publici amore, ornavi.

Si *mortem ?*

iſtius vulnus excepi

quomodo ſolent ſapientes, fortiter ;
quomodo debent fortes, hilariter.

Quòd mortuus ſim, fati crimen eſt ;
Quòd talis mortuus, virtus vitæ.

Vide ne me ploraveris

qui huc veniſti cum lachrymis !

Non obij,

ſed ad felicitatem immortalitatis abij.

Scopulum mortem putas ;
portus eſt aliquando petendus.

C

D. O. M.

Tumulus

Morti in honorem, vitæ in memoriam,
Familiæ in luctũ, Regno in monumẽtum,
TIBI VIATOR
in adorationem, orationem, rationem.
STANISLAVS HERACLIVS
LVBOMIRIUS
hîc cecidit!
Caſu, quo ſolent omnia, ruinâ, mortis.

VIR

In veritate candidus, in varietate nullus,
in virtute omnis.
Boni publici inſatiabilem cupiditatem habuit;
in hoc uno avarus.
Magnitudinem honoris contempſit;
in hoc ſolo ſuperbus.
Laſſatam ſenio & titulis vitam poſuit;
in hoc tantùm mortalis.
Eodem Scipione, & viam monſtravit,
& curſum gloriæ oſtendit Regibus.
Cœlo animam ſanctè, terræ corpus Chriſtianè,
Patriæ merita perfectè, Domui gloriam ſplendidè,
Famam æternitati copiosè reſtituit.
Cum diutiùs in arena meritorum,
quàm vita ſtetiſſet,
tandem cecidit.

D. O. M.


Heu!

quàm contraria vitæ, mortis dominia!
ex Vmbra hac Jllustrissima metire
VIATOR.
Statores cadunt, Lucij tenebrescunt,
parvi Maximi, viles Pompeij.
Quidam tardiùs obeunt,
multi citiùs, nunquam nullus.
Omnibus
una diversè instat Lachesis.
STANISLAUS HERACLIUS
LUBOMIRSKI
Titulo Dignitatis
MARESCHALCUS Supremus,
debito mortalitatis
cinis terræ infimus,
Magnitudinem suam
parvo hoc compendio coarctavit.
Lege tam difficilia antitheta,
qui spectator advenis.
&
sive discis vitam ex mortuo;
sive plenam vanitatem terræ
vides in pulveris nihilo,
Sepulti Vmbræ
Lucem precare perpetuam.

D. O. M.

STANISLAVS HERACLIVS
LUBOMIRSKI,
Magnorum Virorum Summus Apex.
S. R. I. PRINCEPS,
Heroum famæ augusta Coronis.
Supremus Regni Mareſchalcus,
Senatorum Majeſtas & Jubar.
COMES in WISNICZ & JAROSŁAW,
Glorioſa Orbis Hiſtoria:
Ruit, deſinit, extinguitur, tacet.
Da cor & oculos Polonia!
illud dolori, hos lachrymis!
Sol tuæ Aquilæ jam umbra eſt.
Cui per tenebras præli dum parentat
minima Scholarum Piarum Religio;
Primo voto ſe obligat:
coram DEO, Populo,
Aris, Orbe, Cœlo,
Fundatoris & Mecænatis ſui
æternùm meminiſſe.





26



Ita optimum quemq́ niti & contendere decet, ut poſt ſe quoq́
erationis ſcilicet juſtitiæq́ monumentis.



ut non in unam æ
s relinquant. Se

tutibus, ut non p
ctu, colámus. I

icola amavimus, q
t in animis hominũ
ultos veterũ oblivi
poſteritati narratus

uetur magnus vir,
emoriam clariſſim

nihil pertinebit p
olet, & frequentab

me, cùm amicos ſup
me victurum, non c

tus inter felices curr
, Catoneſq́. Se

is ingenijs cara in co
grè has anguſtias fer
veti humana deſpice

atis magni præferre

\- - - - - - - -

